

ut nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamus. Jam vero immanes et feras belluas nanciscimur venando, ut et vescamur iis, et exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae, et utamur domitis et condocefactis, ut elephantis: multaque ex earum corporibus remedia morbis et vulneribus eliciamus, sicut ex quibusdam stirpibus et herbis, quarum utilitates longinqui temporis usu et periclitatione percepimus. Totam licet animis, tamquam oculis, lustrare terram, mariaque omnia; cernes jam spatia frugifera atque immensa camporum, vestitus densissimos montium, pecudum pastus, cum incredibili cursus maritimos celeritate. Nec vero supra terram, sed etiam in intimis ejus tenebris plurimarum rerum latet utilitas, quae ad usum hominum orta, ab hominibus solis invenitur.

Cap. LXV. Illud vero, quod uterque vestrum fortasse arripiet ad reprehendendum: Cotta, quia Carneades libenter in Stoicos invehebatur; Vellejus, quia nihil tam irridet Epicurus, quam praedictionem rerum futurarum; mihi videtur vel maxime confirmare, deorum providentia consuli rebus humanis. Est enim profecto divinatio, quae multis locis et temporibus apparet, tum in privatis rebus, tum maxime in publicis. Multa cernunt haruspices, multa augures provident; multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa somniis, multa portentis: quibus cognitis, multae saepe res ex hominum sententia atque utilitate partae, multa etiam pericula depulsa sunt. Haec igitur sive vis, sive ars, sive natura ad scientiam rerum futurarum homini profecto est, nec alii cuiquam a diis immortalibus data. Quae si singula vos forte non movent, universa certe tamen inter se connexa atque conjuncta movere debent.

Cap. LXVI. Nec vero universo generi hominum solum, sed etiam singulis a diis immortalibus consuli et provideri solet. Licet enim contrahere universitatem generis humani, eamque gradatim ad pauciores, postremo deducere ad